ch'ella è stata scritta di porre nella sincerità della mia affet
tione per il bene di suo servitio, quanto da l'altra mi rincresce
di non haver sin adesso goduto il favore dal detto Sr. Angelo
d'alcun suo commandamento, da dimostrargli i vivi effetti
della mia obedienza verso V. S. Ill.ma Sino a quell'hora
dunque che me ne sia data l'occasione, qual mai non averrà
senza mio grandissimo gusto, contentarommi di rinovarle
con parole, certo se ma non finte la sicuranza de quel
affetto, che serno nel core di restar a siempre mai.

di V. S. Ill.ma

Humil.mo et aff.mo servo
C. Hugenio.

(55)

Ben: Janssonio.

Ambio amicitiam tuam, celeberrime Janssoni, et necessi
tudinem, ea res fecit, cur non nescire te ineptias meas
tuâ interesse putaverim. neque ~~enim~~ quantus quantillus
sim latere ~~quanquam potest~~ non unquam amicos aequum
credidi, quorum ut pravâ de nobis opinione non offendimur
sic amplâ praeter meritum non afficimur; ubi fastidire
quantum hic mei est coeperis, et noris, quam sit mihi curta
supellex, autori, rogo, remittendam cures, qui te valere jubet
et se amare. 18o. Octobris 1622.

C. Hugenius

(56).

D: Heinsio.

Si saltem in confertissimâ negotiorum turbâ silentium à
Musis meis impetrare valerem, careres quidem et nunc
tu hujusmodi molestijs, quas etiam Oceano toto sejuncta
allatum tibi eunt. At enim quà curru, quà equo, quà na
vigio vehimur inveniunt illae perpetuam occasionem ob
repenti cogitationibus magis multo serijs, atque adeò longè
ab eo studiorum genere remotis, quod otia et scribentis
secessum quaerere, vulgus non ignorat. Sic Eclogam istam
calamo meo expressendam neanû propriâ pene dixerim
invitâ atque renitente. Nunc ubi censura popularis, et
quam illa comitem habere solet, calumnia in mentem
venit, nominis tui tutelam submissè emendicatam
volunt. Hic mea res agitur, Heinsi Clarissime, ut qui
publici ista juris propediem facta iri non ~~sum~~ sim nescius.
simul ac nimirum in illorum amicorum manus incide
rint, quibus tam praeclarè de me meisque opinari libitum
est, ut et operâ Typographorum vulgari nuper ineptias
meas

meas, meâ interesse putaverint, consilio certè vel assensu
nec meo nec meorum. Quas verò nunc prodimus ipsa materiæ
dignitas mansura est prioribus uti assuantur. nec persuasum
tamen, nisi prius id fieri è re nostrâ judicaveris, cui uni
omnem super literis meis authoritatem non nuper de-
tuli, officia verò atque amicitiam perennem defero in
sempiternum. Vale Vir Maxime et me ama. Londini
die natali Servatoris nostri Iesu Christi 1622.

C. Hugenius.

D. Heinsio.

Nobilissime Domine. (57)

Testabitur qui has traditurus est, nondum adeo me publici
negotii curam profligasse, ut in privatum aliquid vel intueri
valeam, qui eorum omnium, quæ totos quatuordecim menses
cum difficillimâ gentium tractavimus, in ordinem atque
Synopsim redigendorum provinciam nactus sum. Unde nunc
paucissimas horas superesse quas literis impendamus aut studiis
per te conjicies. Certè Asinum tuum, cujus perlegendi de-
siderio mox conflagratum it animus meus, tantùm a limine
salutavi; atque adeo interim eruditissimâ festivitatis dul-
cedine affectas aures habeo, ut vigilias modo nocturnas uni
elegantissimo opusculorum destinatum iverim. super quo
tamen frustrà judicium nostrum exploraverit quicumque
te autorem addiderit. Censorem, si fas est, alii hic agant,
quos magis ille æquus amarit; nos si cum tantillo sublimi-
oris hujusmodi litteraturæ gustu, suspicere ista infirmè
et procul admirari valemus, præclarum verò facinus et
neutiquam de vulgo præstare videmur, quin vel hoc
solo merito minus multò ad illum accedere, quem (si tan-
tum liceat addere de nostro) doctissimè jucundissimè, atque
utilissimè commendasse te dixerim. Quod opusculi ver-
naculi è Britannia missionem gratam habueris, abundè
est quod gratuler mihi, erit autem amplius, si non
emendicandæ laudis, sed officiosissimi erga te studii testandi
gratiâ affectum censere volueris qualecumque est illud
quod

© Koninklijke Bibliotheek
KA 45, fol. 10
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/198